

patris mei mansiones multe sunt. Que sit voluntas? Iterum inquit: Venio ac accerso^w vos ad me ipsum, ut ubi sum ego et vos sitis. Hec ille. Et quia consuetum est, quod illi, qui de patria nativa pergunt ad extranea regna vel loca parentibus, amicis vel notis valedicunt, eapropter^x ·N· regi^y nostro Wen[zezla]o cum fratribus suis dicere poterat^z: Venite, filii, audite me; timorem domini docebo vos, in Ps. [33, 12]. Discite a me, quia mitis sum (fol. 66) et humilis corde . . . usque onus meum leve, Mt. XI^o, 29. Rex autem noster dicat: Omnia quaecumque precepisti michi, pater, faciam, Tob. V, 1. Amicis autem suis dicat: Miseremini mei, miseremini mei saltem vos, amici mei, quia manus domini tetigit me^a, Iob [19, 21]. Baronibus autem dicit: Aversamini^b 12 vicia, colite^c virtutes, ad rectas spes animum sublevate, humiles preces in excelsa porrigite, ut ait Boetius in fine ultimi libri de consolacione philosophie³⁰). Et nos omnes sibi dicamus illud Idt. X, 8: Deus patrum nostrorum det tibi misericordiam et omne consilium cordis tui corroboret in virtute sua, et letetur super te Iuda et Ierusalem, et sit nomen tuum in numero sanctorum et iustorum. Quod anime nostri cesaris ·N· concedere dignetur trinus et unus optimus deus, qui regnat et imperat per infinita secula seculorum Amen.

Anno domini M^o CCC^o 78 feria V^a post nativitatem Christi hunc sermonem compilavi et in exsequiis imperatoris in Luthom[isla] feci.

Cui alludit Augustinus libro de visitacionibus infirmorum³¹) dicens: Si de vite istius naufragio deque compendioſe mortis comparando comercio cogitares, quam inenarrabiliter vivere fastidires, quam festinanter in domino mori concupisceres! Beati enim mortui, qui in domino moriuntur. Hec ille. Sed hoc sciens dominus noster ·N· mori in domino desiderans^d ipsam mortem interpellat his verbis dicens cum Augustino libro prefato: O mors desiderabilis, o mors omnium malorum presencium^e finis. O mors laboris clausula, quietis principium! Quis cogitare queat tuarum utilitates beatitudinum; nam male mori Christianorum non est. Bene autem mori cum Christo vivere est. Et quis

^w) accersio Ms.

^x) quapropter Ms.

^y) rege Ms.

^z) potera Ms.

^a) te Ms.

^b) adversamini Ms.

^c) tollite Ms.

^d) desideras Ms.

^e) principium Ms.

³⁰) Corpus Christianorum 94, 195.

³¹) Migne PL 40, 1151 f.: Baudri von Bourgueil.